

runt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus. Humiles nos esse decet, mites, mansuetos, graves, patientes, modum tenere in omnibus, ut nullum vitium esse in moribus, vel tacitus vultus, vel sermo annuntiet.

DE IRACUNDIA REPRIMENDA, ET IN ALIIS MITIGANDA.

Caveatur iracundia, aut si praecaveri non potest, cohibeatur. Mala enim illex peccati indignatio est: quae ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primum est igitur, si fieri potest, ut morum tranquillitas usu quodam, affectione, proposito, in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerumque motus infixus est naturae ac moribus, ut evelli atque evitari non queat: si praevideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare quomodo motum animi tui vincas? iracundiam temperes. Resiste irae, si potes: cede si non potes: quia scriptum est: Date locum irae. Jacob fratri indignanti pie cessit, et Rebeckae, id est, patientiae instructus consilio, abesse maluit et peregrinari, quam excitare fratris indignationem: et tunc redire, cum fratrem mitigatum putaret. Et ideo tantam apud Deum invenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliavit sibi, ut ille praereptae benedictionis non meminisset, meminisset delatae satisfactionis? Ergo si praevenerit et praecoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non relinquantur tibi locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, et perversitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, et sequere eam.¹⁾ Pacem illam sancti Jacob vide, qua tu primum

1) Ps. 33.